

ergo dicendum est voluntati liberæ ad plures actus offerre concursum Deum cum indifferentia, quæ non potest esse in uno et eodem concursu secundum speciem; consistit ergo in varietate concursuum secundum speciem quam Deus ex se offert liberæ voluntati, ut explicatum est.

14. *Divinus concursus in actu primo non est determinatus ad unam speciem respectu causæ liberæ.* — Hinc ergo ulterius dicimus, si sermo sit de concursu in actu primo, seu ut oblato ex parte Dei, non esse determinatum ad unam speciem respectu causæ liberæ, sed habere indifferentiam proportionatam potentiæ cui offertur, ut est complete et proxime libera, cum omnibus aliis ex parte sua vel ex parte objecti prærequisitis ad operandum; ideoque quoad hanc partem non procedere membrum illud tertium, seu rationem in illo fundatam; supponit enim concursum Dei, sic oblatum, esse determinatum ad unam tantum speciem, quod non ita est, ut ostendi. Si vero sit sermo de determinatione quoad tales species concursuum et quoad numerum, licet plures sint, respondemus determinationem fieri quidem per divinam voluntatem, fundari vero aliquo modo in capacitate voluntatis proxime in suo ordine dispositæ ad operandum; nam quia circa tale objectum sic propositum libera est ad talem vel talem actum faciendum in talibus speciebus, et non in pluribus, ideo illius intuitu Deus offert illi tot concursus, et talium specierum. In unaquaque vero specie illorum concursuum et actuum, offert Deus unum numero concursum ad unum tantum individuum actum, quem ipse determinat sua tantum voluntate, quia determinatio individui non potest fundari dicto modo in causa secunda, ut supra declaravi, quod æque procedit in voluntate, quia, licet libertatem habeat ad eligendum inter species actuum, quæ sumuntur ex objectis formalibus a quibus potest voluntas moveri ad operandum, non potest ita eligere inter actus numero distinctos intra eandem speciem, quia illa distinctio sumitur ex objectis materialibus, et ita ex parte eorum non potest cadere sub electionem voluntatis, nec etiam præcognoscuntur in particulari plures actus possibili numero distincti, ut voluntas possit directe velle unum potius quam alium facere. Determinatio ergo illa fit per voluntatem Dei sine præiudicio libertatis quoad specificacionem, quia non fit cum determinatione ad unum solum actum unius speciei, sed ad plures diversarum specierum, in quibus dicta

libertas voluntatis sufficienter exerceri potest: quoad exercitium vero nulla fit antecedens determinatio ex vi concursus, ut jam dicam.

15. *Divinus concursus in actu secundo determinatur ad speciem et exercitium actus a divina et creata voluntate simul, ex conjunctione utriusque voluntatis.* — Loquendo igitur de concursu in actu secundo, dicendum est illum determinari posse quoad speciem actus, et quoad exercitium, non a sola voluntate divina, sed ex conjunctione illius cum humana voluntate, et ideo propter hanc determinationem non esse necessarium prævium concursum Dei ad extra, et prius natura factum in creata voluntate. Assumptum declaratur, quia voluntas creata est sufficienter in actu primo constituta ad hunc vel illum actum eliciendum, ut ad eligendum in objecto hanc vel illam rationem boni, sub qua in illud tendat appetendo, vel rationem mali, sub qua illud fugiat. Ergo ita Deus illi offert concursum, ut illi integram electionem relinquat, ideoque vult suum concursum ad extra prodire, et accommodari determinate ad juvandam voluntatem, prout ipsa se actualiter inclinaverit; ergo non est necesse ut antecedenter determinetur absolute quoad illam solam speciem in qua dari contingit, sed tantum quasi sub conditione, si voluntas creata in hanc partem potius quam in aliam inclinari voluerit; determinatio ergo illa consummatur (ut sic dicam) in conjunctione utriusque voluntatis, inter quas voluntas creata proxime facit determinationem sui concursus eliciendo actum; increata vero facit eandem cooperando ut causa prima, ex vi antecedentis voluntatis, qua decrevit juvare voluntatem ea specie concursus quæ illi voluntarie cooperanti esset accommodata. Et eadem ratione non est necessarius ille prævius concursus propter determinationem quoad exercitium actus, quia hæc est in manu voluntatis creatæ, si paratum concursum proportionatum habeat, ut habere jam diximus. Et ita cessat omnis necessitas talis prædeterminationis seu prævii concursus in voluntate libera; hæc enim duo idem sunt in illa sententia, ut notavi: cessante autem necessitate, consequenter concluditur talem præmotionem non dari, ut satis declaratum est. Contra hanc vero declarationem potissime procedit ratio octava contrariæ sententiæ cum omnibus confirmationibus suis, quibus in capite 46 commodius satisfaciemus.

CAPUT XLIII.

DOCTRINA SUPERIORIS CAPITIS AUCTORITATE SCRIPTURÆ ET PATRUM CONFIRMATUR.

1. *Duplex genus testimoniorum.* — Duobus modis, ut supra de naturalibus causis dixi, probari potest non dare Deum voluntati nostræ prævium concursum, quo illam prædeterminet physice. Primo, per testimonia negativa, quæ directe et formaliter illam negationem contineant, et hæc probatio ex Scholasticis Doctoribus in cap. 19 data est: ex canonicis autem libris vel antiquioribus Patribus expetenda non est neque expectanda, quia hæc speculatio vel controversia a Patribus antiquis non est tractata. Secundo potest ostendi negatio illa per affirmationes et doctrinas in quibus virtute contineatur, vel per æquipollentia verba, et hoc modo dicimus assertionem, superiori capite ratione probatam, gravissimam auctoritate, quatenus ex Scriptura et Patribus colligi potest.

2. *Scripturæ quæ homini liberam electionem tribuunt, negant quoque necessitatem prædeterminationis.* — Primo itaque ostendi potest ex illis Scripturæ locis, in quibus dicitur Deus ita creasse hominem sui juris ac liberi arbitrii, ut propositis et cognitis objectis, optionem et electionem illi commiserit, ut est illud Ecclesiast. 15: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui*; et infra: *Apposuit tibi ignem et aquam, ad quod volueris porrigere manum tuam.* De quo testimonio inter Catholicos, cum quibus nos agimus, controversia non est, quin etiam de homine lapsio intelligatur, ut verba ipsa et totus illius capituli contextus satis aperte docent, et sentit Concilium Senonense in decreto 15 fidei. Sunt item alia innumera Scripturæ loca, in quibus hominibus lapsis optio et electio committitur; Numer. 30: *In arbitrio viri erit, sive faciat, sive non faciat*; Jos. 24: *Optio vobis datur, eligite*; et Matth. 16: *Qui vult venire post me, etc.*; et 1 Corinth. 7: *Quod vult faciat*; et multa sunt similia quæ congerit Augustinus, lib. de Grat. et liber. arbitr., cap. 2 et 3, et alii scribentes pro libertate.

3. *Instantia adversariorum rejicitur.* — Dicit aliquis his testimoniis solum probari libertatem arbitrii cum indifferentia necessitati opposita, quam illi Catholici Doctores non negant. Respondemus, propter hoc dogma fidei quod inde proxime (ut ita dicam) probatur, in

illis verbis a nobis ponderari hanc libertatem in hoc constitui, quod determinatio voluntatis ad unam partem potius quam aliam ipsi voluntati commissa est, tanquam propriæ causæ talis determinationis: hoc enim directe repugnat cum necessitate prædeterminationis ab extrinseco præstandæ. Deinde expendimus immediate fieri transitum a voluntate indifferente ad electionem unius vel alterius partis, quæ electio intrinsece includit determinationem, imo est formalis determinatio libera; ergo non interponitur aliqua prædeterminatio inter voluntatem indifferentem et determinationem ejus; ergo a voluntate sic indifferente in actu primo, immediate fit determinatio in actu secundo: non est ergo necessaria, nec intervenit, aut prævenit determinatio Dei: denique advertimus quod ipsi homini data dicitur potestas se determinandi, et ideo illi determinatio tribuitur. Quid enim aliud significant illa verba: *Reliquit eum in manu consilii sui*? Profecto si præter consilium et iudicium non posset voluntas se determinare, nisi ab alio prædeterminetur, non esset relicta in manu consilii sui, sed in manu ejus qui eam prædeterminare potest. Ut ergo verum sit hominem esse relictum in manu consilii sui, oportet ut immediate hoc sit positum in voluntate ejus, et ideo illi immediate tribuitur determinatio, cum additur: *Ad quod volueris porrigere manum.*

4. *Secunda responsio confutatur.* — Ad hæc vero et similia testimonia respondent alii, convincere illa quidem voluntatem se determinare, cum libere operatur, inde tamen non sequi non prius natura prædeterminari, quia hæc duo non repugnant. Nam cum prædeterminatio non tollat libertatem, adhuc reliquit locum determinationi faciendæ ab ipsa voluntate, media prædeterminatione a Deo recepta, et ita et prædeterminatur a Deo et ipsa se determinat: imo addit P. Alvar., disp. 23, n. 26, ex hoc quod potentia, quæ est domina sui actus, posset sua intrinseca virtute cum generali concursu causæ primæ seipsam determinare, sequi quod indigeat prædeterminatione primæ causæ. Sed hæc responsio non satisfacit prædictis testimoniis, nec secundum rectam rationem potest subsistere. Primum patet ex dictis, nam cum Sapiens dicit: *Apposuit tibi ignem et aquam*, non loquitur de homine jam prædeterminato a Deo, nam illi, ut sic prævento, seu ex vi prædeterminationis, non apponitur nisi vel ignis, vel aqua: ergo loquitur Sapiens de voluntate sufficienter constituta in actu primo, cui objecta sufficienter ad operandum et eli-

gendum sunt proposita; illi autem immediate dicitur: *Ad quod volueris porrigere manum*; ergo supponitur habere potestatem immediate se determinandi active, non expectata alia prædeterminatione aliunde recipienda. Nam si illa expectanda est ut unica tantum, et non est in hominis potestate habere quam velit, sed quam Deus suo arbitrio dare vult, si hæc, inquam, vera sint, quomodo potest vere et sine fictione homini dici, ut ad quod voluerit manum porrigat, si ad alterum tantum volendum prædeterminationem habere potest, et illam non arbitrio suo eligendam, sed ab altero pro arbitrio suo præstandam. Et hinc facile probatur quod secundo loco proposui; nam si voluntas non exit in actu secundo, nisi prædeterminata in actu primo, jam actio illa non est determinatio ipsiusmet voluntatis, si vere loquamur: nam quando intellectus credit determinatus a voluntate, licet eliciat actum fidei, non dicitur se determinare ad illum, sed a voluntate determinari, quia actio agentis non habet rationem determinationis, nisi quando est a principio nondum determinato; sicut etiam voluntas in patria non dicitur proprie determinare se ad amandum Deum, quia ex vi objecti præsentis et pondere connaturali charitatis determinatur.

5. *Confirmatur ex Patribus, loca illa Scripturæ exponentibus.* — Accedit quod nullus Patrum ita intellexit illa testimonia, ut non sit in hominis potestate proxima determinatio, vel (quod idem est) electio, sed solum media prædeterminatione divina; imo multi illorum docuerunt talem prædeterminationem propriam determinationem et electionem hominis auferre. Et hac ratione dicit Damascenus, libr. 2 de Fide, cap. 30, Deum præscire ea quæ in nostra potestate sita sunt, non autem præfinire; et rationem indicans, subjungit: *Nec enim virtuti vim affert*, et similia habet Dialogo contra Manich., non longe a fine. Et licet D. Thomas, 1 part., quæst. 23, art. 5, ad 5, et lib. 3 contra gent., cap. 90, exponat Damascenum loqui de prædeterminatione necessitante voluntatem, hoc non evertit vim testimonii, sed confirmat. Supponit ergo D. Thomas aliquam præfinitionem divinam posse necessitatem inferre voluntati; hoc autem nulla magis facere potest quam prædeterminatio physica, ut in Prolegomeno primo tactum est, et libro 5 latius ostendemus. Ideoque ad excludendam hanc præviam determinationem ab extrinseco proveniente, dixit Anselmus, l. de Concord., in 4 ejus parte circa

finem: *Sola voluntas determinat ibi*, id est, cum eligit, *quid teneat*; nam illa particula *sola*, non excludit cooperationem Dei, sed excludit, ut ipse ait, necessitatem determinationis ab alio; sic enim dixerat: *Licet necesse sit aut vitam aut rectitudinem relinquere, nulla tamen necessitas determinat, quam servet aut deserat.* Et infra: *Nec aliquid facit vis necessitatis, ubi operatur sola electio voluntatis*, ubi expendo illa verba: *Nulla necessitas determinat.* Nam si determinatio fit a solo Deo in voluntate, profecto necessario fit respectu voluntatis recipientis; ergo necessitas aliqua determinat voluntatem, quod est contra Anselmum. Cum ergo ait solam voluntatem se determinare, vel solam eligere, excludit omnem vim et efficaciam, quæ ex necessitate faciat determinationem in voluntate: sentit enim determinationem non posse esse necessariam et electionem liberam, neque posse electionem esse ab intrinseca potestate, si determinatio fit ab extrinseca efficacia. His concordat Hieronymus in epistola 146 ad Damascenum, de Filio prodigo, ubi dicit *Deum dedisse homini libertatem, ut viveret unusquisque, non ex imperio Dei, sed obsequio suo.* Imperium enim Dei nihil aliud est quam efficax ejus motio vel effectio; sentit autem Hieronymus tale imperium Dei inferre necessitatem, et ideo subdit: *Id est, non ex necessitate, sed ex voluntate.*

6. *Alia Patrum testimonia.* — Atque in eadem sententiam Justinus, quæst. 9, ad Christianos, sic ait: *Ad quæ voluntas nos impellit eorum causa, vel corona donamur, vel afficimur supplicio*; ubi verbum *impellit*, determinationem ab ipsamet voluntate suo nutu progredientem significat; et adjungit: *Deus enim nobis facultates dedit ad agendum, sed eas libertati voluntatis judicii que subiecit.* Nec ergo dat prædeterminationem quæ sit principium agendi, et libertati subjecta non sit. Et quod talis modus gubernandi voluntatem, ejus naturali libertati accommodatus non sit, colligi potest ex his quæ subjungit, dicens: *Ad propositum et voluntatem jus habet Deus gubernandi eas facultates quæ in nobis suos habent appetitus, non ad naturam*, quasi dicat ad providentiam Dei spectare, ita illas gubernare, ut semper in potestate voluntatis motio vel determinatio relinquatur. Cui consonat illud Augustini, lib. 7 de Civit., cap. 30: *Sic administrat Deus omnia quæ creavit, ut etiam ipsa proprios agere motus sinat.* Et ideo aliis locis, etiam de voluntate, quomodocumque præventata, ait, consentire et dissentire, propriæ volun-

tatis esse, de Spirit. et litter., cap. 34; lib. 83 Quæstion., quæst. 68; ad Simplicianum, q. 2, et epist. 64. Sed de Augustini sententia latius in sequentibus.

7. *Patrum Græcorum mens.* — Præterea ob hanc causam Græci interdum condistinguunt opera providentiæ ab operibus liberi arbitrii; non quod hæc opera humana non cadant sub providentiam Dei; contrarium enim est certissimum, et ab eisdem Patribus sæpe traditur, sed quod per quamdam adæquationem (ut sic dicam) vel per antonomasiam, illa dicant evenire ex providentia divina, quæ ex sola illa eveniunt, et ad unum determinantur; opera autem libera aliud genus altius habeant providentiæ, quia non absolute ex sola providentia ad extra determinantur, sed cum tali respectu ad liberum arbitrium, ut illorum determinatio in arbitrii potestate simpliciter constituatur. Ita sentit Theodoretus in Epitome divinorum decretorum, cap. de Provident.; Nemesius, lib. de Natur. homin., in ultimis capitibus; citatur etiam Nyssenus, in Philosoph., l. 7, c. 1, l. 8, cap. ult., licet inter opera Nysseni nondum hoc invenerim. Melius hoc explicuit Dionysius, in cap. 4 de Divinis nominibus, sub finem: Ut providentia cujusque naturæ est servatrix, eis quæ per se moventur (et libero aguntur arbitrio) providet, omnibusque et singulis proprie, ut omnium singulorumque natura capit. Ex quibus verbis colligimus, quia liberum arbitrium natura sua postulat per se moveri, se determinando libere ad alterutram partem, ex vi concursus divini non privari hoc modo agendi, neque ad divinam providentiam id pertinere, quod tamen fieret si voluntas per concursum prævium prædeterminaretur. Et eodem modo dixit lib. de Cœlesti Hierarch., capit. 9: *Neque coactam habemus vitam, neque liberi arbitrii gratia divinitus indulta mortalibus, providentiæ divinæ luce et splendore obtunditur.* Nam certe non video quomodo magis possit libertas arbitrii obtundi per divinam providentiam, quam si in omnibus et singulis actibus suis, extrinseca prædeterminatione, ex vi ejusdem generalis providentiæ, moveretur.

8. *Tertulliani dictum.* — His addi potest Tertullianus, lib. 2 contra Marcionist., cap. 5, ubi ita exponit locum Ecclesiastici, quod prosequitur in capit. 6; et in capit. 7 declarat Deum non impedire usum libertatis, præveniando vel impediendo usum ejus. Et in hoc sensu ait, eo ipso quod Deus homini concessit libertatem arbitrii et potestatem, non se inter-

ponere, utique præmovendo et tollendo indifferentiam, in hoc sensu dicit: *Igitur consequens erat ut Deus secederet a libertate semel concessa homini, id est, contineret in semetipso et præscientiam et potentiam suam, per quas intercessisse potuisset; si enim intercessisset, rescidisset arbitrii libertatem.* Quod sane de nulla intercessione (ut ille loquitur) verius et proprius intelligi potest, quam de efficaci motione qua Deus contineret voluntatem Adæ, ne tentationi consentiret, de hac enim re ibi loquitur; in libro autem de Exhortatione ad castitatem, cap. 1, similem doctrinam habet de motione ad voluntatem malam, quem locum late tractabo in capite 46; nunc solum adverto eodem modo exponere ibi verba Ecclesiastici, et inde inferre: *Et ideo non debemus quod nostro expositum est arbitrio, in Dei referre voluntatem*, utique efficaciter præmotentem et voluntatem nostram determinantem; agit enim contra omnes qui de omni nostra volitione hoc asserebant.

9. *Chrysostomi sensus.* — Est denique valde notanda sententia Chrysostomi, homil. 11 in Joannem, ubi etiam respectu divinæ voluntatis discrimen constituit inter naturalia agentia et libera: *Nam corporis natura* (inquit), *quocumque ipsam opifera ducera velit, eo sequitur, neque resistit: anima autem sui juris vim in se habet operandi, neque ulla in re Deo, nisi velit, obtemperat*; alias, ut postea subdit, *opera non essent virtute animæ adscribenda.* Unde concludit: *Sed sponte sua bona sit, et sibi virtutem complectendam persuadeat oportet.* His testimoniis conjungi debent quæ de concursu ad actum peccati loquuntur, quæ capite 46 afferemus, præter alia quæ de operibus gratiæ, postea suis locis, dicturi sumus. Ad quæ omnia nihil video hactenus responsum, præter illud unicum, quod Patres solum intendebant liberum arbitrium defendere adversus eos qui dicebant Deum providentia illi necessitatem inferre. Sed hoc certe non satisfacit, ut jam insinuavi, tum quia vix potest distingui illa prædeterminatio physica a necessitate, ut probatum est, et latius in libro 5 ostendetur; tum etiam quia, ad excludendam illam necessitatem, declarant Patres jus, vim et potestatem quam voluntas habet ut immediate se determinet, nullo intercedente impulsu ipsi voluntati aliunde immisso, qui talem in ea efficaciam habeat, ut ejus indifferentiam et indeterminationem ab ejus potestate auferat prius natura quam velit aliquid aut eligat. Intellexerunt enim determinationem hanc cum

indeterminatione indita voluntati repugnare, et Deum, si ad unum voluntatem prædeterminaret, una via auferre quod alia dederat, ut Tertullianus eleganter ponderavit.

10. *Nihil in Scriptura aut Patribus necessitatem divinæ præmotionis ad omnes actus liberos significat.* — Addo denique neque in Scriptura, neque in Patribus, aliquid inveniri quod necessitatem illius præviæ motionis ad omnes actus voluntatis indicet. De Scriptura id probamus, quia vel id tradit per generales locutiones quibus docet Deum operari omnia opera nostra et causarum secundarum, vel per speciales, quibus tradit Deum movere corda hominum, et ducere quo vult. At priora solum probant concursum simultaneum et cooperationem Dei, ut supra probavi: posteriora autem ad summum probant Deum præmovere corda hominum, non tamen probant illam præmotionem esse ad omnes et singulos actus voluntatis necessariam, multoque minus probant illam præmotionem esse physicam prædeterminationem, ut etiam supra probatum est. Neque aliquis locus ex Scriptura ubi hoc significetur hactenus productus est, nec puto posse proferri, ut iterum ostendam tractando de auxilio gratiæ efficacis. Nam si ad aliquos actus Scriptura postulat illam physicam præmotionem determinantem, maxime ad actus supernaturales; sed de illis nihil hujusmodi docet, ut infra videbimus; ergo multo minus de reliquis. Idemque possumus de Sanctis Patribus dicere; quia vero ex illis aliqua obijciuntur quæ non sunt pecularia gratiæ, sed in universum de divina providentia et operibus ejus, quatenus ab efficacia divinæ voluntatis procedunt, ideo de illis aliquid dicere cogimur; id tamen commodius in cap. 47 præstabimus.

CAPUT XLIV.

AUCTORITATE D. THOMÆ ET ALIQUORUM POSTERIORUM THEOLOGORUM EADEM DOCTRINA CONFIRMATUR.

1. *Status questionis.* — In superioribus ostendimus concursum generalem Dei, prout datur causis secundis naturaliter agentibus, et consequenter ut essentialiter postulatur a causa, juxta D. Thomæ doctrinam, unicum tantum esse, ac proinde esse cooperantem in actione causæ secundæ inclusum, et non prævium receptum in causa, ex quo principio aperte sequitur (juxta eandem D. Thomæ doctrinam) voluntatem, ex ratione causæ secundæ, quam habet, communi aliis causis

creatis, alium concursum non postulare, et ita potest hæc pars probari locis supra allegatis, et 1. 2, quæst. 109, in quibus non aliam motionem causæ primæ per se requirit ad opera voluntatis libera ordinis naturalis, nisi eam quæ aliis causis secundis necessaria est, quæ est motio cooperativa, ut cum antiquis Thomistis et multis modernis declaravimus. Superest ut aliis ejusdem Doctoris sancti testimoniis probemus voluntatem creatam, etiam propter indifferentiam quam naturaliter habet, non indigere concursu efficaciter ac physice illam prædeterminante, imo potius propter indifferentiam suam naturaliter postulare ne tali modo præmoveatur.

2. *Locus ex 1. 2, quæst. 9, art. 4 et 6.* — Probamus autem hoc primo, ex 1. 2, quæst. 9, art. 4 et 6; nam in priori interrogat an voluntas moveatur ab aliquo exteriori principio, in posteriori vero an ille motor sit solus Deus; qui locus videbatur aptissimus ad tradendam doctrinam illam de necessitate hujus præviæ motionis ob indifferentiam voluntatis, si illam testatam et declaratam nobis relinquere voluisset: nihil autem minus in utroque articulo fecit; nam in quarto, non ad omnem actum voluntatis, sed solum ad primum motum ejus, scilicet, quo tendit in finem, requirit præmotionem extrinseci motoris: pro cæteris autem negat illam, affirmatque in aliis actibus voluntatem movere seipsam, in quantum, per hoc quod vult finem, reducit seipsam ad volendum ea quæ sunt ad finem. Ex qua doctrina colligimus imprimis D. Thomam non postulare præviam motionem, ut necessariam ex vi concursus generalis, alias deberet illam ad omnem actionem postulare. Deinde colligimus non postulare illam propter indeterminationem voluntatis; nam etiam post intentionem finis est indeterminata voluntas ad eligendum hoc vel illud medium, nam libere et cum indifferentia eligit, et nihilominus in hac electione ait D. Thomas non indigere voluntatem exteriori præmovente, nedum prædeterminante, sed ipsam reducere se ad volendum tale medium. Quid est autem reducere se, nisi determinare se? Idemque confirmat in solutione ad 4; solum est obscurum in illo articulo, quo sensu D. Thomas dicat voluntatem moveri ab alio in primo motu suo, quod ad præsentem causam non multum refert; nobis enim satis est quod illa motio, qualiscumque sit, neque postulatur propter indeterminationem voluntatis liberæ, neque etiam quia ad generalem concursum pertineat: sic enim ad

omnes actus voluntatis esset necessaria, satisque verba D. Thomæ declarant illam motionem non esse concursum prævium aut simultaneum, nam vocat illam *instinctum alicujus exterioris moventis*. Ut tamen integre lectori satisfaciamus, paulo inferius nodum illum dissolvemus.

3. *Explicatur sextus articulus questionis citatæ.* — Secundo, probatur hoc amplius ex sexto articulo, in quo non tam probat D. Thomas voluntatem posse moveri a Deo, quam non posse moveri ab alio extrinseco principio; unde ibi non ponit novam motionem ex parte Dei necessariam, sed illam, quam dixerat esse necessariam ad primum voluntatis actum, probat non posse esse nisi a Deo, quia solus ipse est causa efficiens voluntatis, et solum est universale bonum quod respicit voluntas. Ex qua doctrina solum habetur motionem illam, quam ab extrinseco agente postulat voluntas ex parte sua, esse a solo Deo: qualis autem illa motio sit, inde non habetur, potestque optime articulus ille intelligi de motione cooperativa, quam probat prima ratio, quia potentia solum ab illa causa pendet essentialiter in sua operatione, a qua pendet in suo fieri et esse. Vel etiam posset intelligi de motione remota per inclinationem naturalem datam ab auctore naturæ, quam secunda ratio probat. Sed quia doctrina illius articuli videtur referri ad doctrinam articuli quarti, magis inferius explicabitur. Nunc satis nobis sit, in toto illo discursu nihil D. Thomam dicere, nec insinuare de prævio concursu præmovente voluntatem determinando illam; cum tamen, ut dixi, ad illud maxime locum pertinuisse videatur. Verumtamen in solutione ad 3, aperte excludit necessitatem illius promotionis, dicens: *Deus movet voluntatem sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum, et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem se determinat ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum, vel apparet bonum.* Et inde addit exceptionem de motibus gratiæ, quam infra de illa tractando expendemus. Nunc ex his verbis solum haberi volumus ex D. Thomæ sententia voluntatem ex se indifferentem non semper indigere extrinseco determinante, sed illam se determinare in multis actibus, ac subinde illam prædeterminationem non esse necessariam potentiae liberæ ex vi generalis concursus, quidquid sit si in alio titulo interdum datur, et quomodo tunc intelligenda sit, quod postea videbimus.

VIII.

4. *Confirmatur tradita explicatio.* — Et confirmatur hoc argumento ad hominem, contra eos qui ex hoc loco colligunt in operibus gratiæ Deum prædeterminare physice hominis voluntatem: nam cum D. Thomas neget in aliis actionibus humanis dari voluntati talem determinationem, sive ad bonum, sive ad malum determinetur, recte concluditur illam prædeterminationem non esse per se necessariam, nec ex vi generalis concursus. Et quamvis verius sit, cum dicit *Deum movere interdum aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his quos movet per gratiam*, non loqui de motione determinante, sed excitante voluntatem, ut libro 5 dicemus, nihilominus in prioribus quæ allegavimus, simul ait et hanc Dei motionem non esse per se necessariam in aliis electionibus, et voluntatem, se movendo per rationem, se etiam determinare, utique sine motione prædeterminante, alias nec satisfaceret argumento, nec declararet quomodo voluntas se possit determinare, cum de se indeterminata sit. Denique in quæst. 3 de Malo, art. 3, ad 5, hoc expressis verbis declarat, et solvit fundamentum contrariæ sententiæ, quoad hanc partem; sic enim in argumento objecerat: *Omne quod se habet ad utrumlibet, indiget aliquo determinante, ad hoc quod exeat in actum; sed liberum arbitrium hominis ad utrumlibet se habet; ergo.* Respondet autem: *Dicendum quod voluntas, cum sit ad utrumlibet, per aliquid determinatur ad unum, nec oportet hoc esse per aliquod agens extrinsecum.*

5. *Locus ex 1. 2, quæst. 80, art. 1.* — Tertio, hæc sententia D. Thomæ valde confirmatur ex aliis verbis ejus in 1. 2, quæst. 80, art. 1, ubi in corpore dicit Deum non inclinare voluntatem ad actum peccati, quod in capite sequenti latius ponderabimus. Et in solut. ad 3, sic ait: *Deus est universale principium omnis interioris motus humani, sed quod determinetur ad malum consilium voluntas, hoc directe quidem est ex voluntate humana, et a Diabolo per modum persuadentis, vel appetibilia proponentis.* Ex quibus verbis, considerata simul doctrina articuli, aperte constat D. Thomam non tribuere Deo determinationem voluntatis ad talem particularem actum directe vel indirecte, sed voluntati directe, et dæmoni indirecte et insufficienter, quamvis Deo tribuat illum motum voluntatis, tanquam universali principio omnis motus voluntatis, concurrenti utique cum illa. Unde constat secundum D. Thomam posse Deum concurrere ad aliquem motum, ut universale principium, et nihilo-

14